



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

24. An incurrat irregularitatem is, qui sine Ordine requisito administrat alia
Sacramenta, quam solennem Baptismum, & Sacrificium Missæ. Et
supponitur quod irregularis efficitur, qui ministrat in ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

4. Et ratio est, quia nullibi fertur à jure hæc irregularitas adversus laicum; immò aliquo modo contrarium colligitur, quamvis enim non firmum adeo ducatur argumentum ex titulis, & rubricis, ubi diximus in scientia Canonica. Cum tamen antiqui omnes Codices haberent universalem hanc inscriptionem. *De non ordinato ministrante*: & in ultima editione Gregoriana omnium castigatissima addita fuerit vox: *De clerico non ordinato*, non leve indicium est, hanc fuisse lectionem antiquissimam, aut certe communioris sensum Doctorum, de Clerico non ordinato hos Canones interpretari, & quidem cum duo tantum afferantur eo loco decreta Pontificum, quorum unum Urbani nimirum III. agit de Diacono fingente se Sacerdotem; Alterum verò Hormisdæ de non ordinato baptizante, aut officium Ecclesiasticum exercente; difficultas tantum esse potest de mente hujus secundi, de quo tamen non licet certò pronuntiare, cum alibi non reperitur integra illa generalis, & neque constet, an Hormisdæ, an Honorii fuerit, quia tamen agit de solemnii administratione Baptismi, & Officii Ecclesiastici, quæ facile possent usurpari à Clericis non ordinatis; eo quod non sint actiones annexæ certo alicui Ordini Sacro jurè divino, sed tantum Ecclesiastico; videtur de illis tantum agere Pontifex, non de laicis, qui non nisi rarò admodum hæc officia usurpabant: quæ ratio optima est, propter quam Ecclesia sapienter omnino Clericis tantum hanc penam irregularitatis impoſuerit, non verò laicis; cum crimen, de quo agitur, frequentius à Clericis committi soleret, non verò nisi per rarò admodum à laicis, quibus omnibus adde vulgarem regulam de non ampliandis, sed potius restringendis constitutionibus penalibus, quare hanc posteriorem sententiam omnino probandam esse existimo.

5. Et ita docent Doctores, quos ad faciem citat, & sequitur eruditus Pater Gibalin. de irregul. q. 1. dub. 6. contr. 1. n. 25. Ex quibus deducit primò, ut Laicus solemniter baptizans non sit irregularis, quod tradunt DD. proximè citati. Secundò, Laicus fingens se Sacerdotem, & absolvens Sacramentaliter, non erit quoque irregularis, quod docent Sayr. num. 8. & plurimi ab eo relati, & ex nostra sententia jam stabilita necessario sequitur. Tertiò, neque erit irregularis laicus, qui cum stola, & superpelliceo concionem habuerit in Ecclesia tanquam Diaconus, quia non exercet actum Ordinis.

6. Sed ex his oritur aliud dubium, an Diaconus ministrans Eucharistiam incurrat irregularitatem si id faciat sine commissione Sacerdotis, & extra extremam, seu gravem necessitatem, in quibus casibus diximus licere, quod valde probabile est, & fortè probabilius?

7. Affirmant aliqui, & quidem probabiliter; sed ego puto cum Dicastillo ubi supra num. 99. negativam esse probabilem; nam licet tunc peccet, non tamen irregularitatem incurrit, & colligitur ex his, quæ tradit Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 11. sect. 3. n. 24. quia Diaconus ex vi suæ ordinationis recipit aliqualem potestatem administrandi hoc Sacramentum, modo explicato secundo quæſito hujus dub. asser. 2. Quod autem debeat esse cum licentia Presbyteri, pertinet ad jus, seu jurisdictionem; Sicut ergo simplex Sacerdos ministrans sine ulla auctoritate, & jurisdictione Eucharistiam, peccat quidem, sed non fit irregularis; ita etiam Diaconus. Idem quoque colligitur ex iis, quæ docet idem Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 72. sect. 2. §. Sed inquirens. Quia illa irregularitas non est imposita usurpanti jurisdictionem, aut jus alienum, sed usurpanti jurisdictionem, & actum Ordinis, quem non habet.

8. Sed quæro hic, an Diacono ex officio competat

Tom. V.

Eucharistiæ dispensatio? Quoad dispensationem sanguinis, aliqui affirmant, non autem quoad dispensationem corporis, est sententia Divi Thomæ 3. part. quæst. 82. artic. 3. ad 1. Paludanum 4. disp. 13. quæst. 1. artic. 4. Soti quæst. 1. artic. 3. Sylvest. verbo *Diaconus* quæst. 2. Valentia 3. part. disput. 6. quæstion. 10. punct. 2.

9. Sed mihi placet sententia peganis Diacono ullius Eucharistiæ partis dispensationem ex officio convenire; sed ex sola Episcopi, vel presbyteri commissione; Hanc docent communiter recentiores, Paludani in 4. disp. 13. disp. 1. §. Sum qui putent. Henriquez lib. 8. de Eucharistia, cap. 54. Suarez disput. 72. sect. 1. Vasquez disput. 219. cap. 1. Coninch 3. part. quæst. 82. art. 3. & alii.

10. Quia illud ex proprio officio convenit ministerio, quod cum ipsa potestate Ordinis ei traditur; Sed Diacono cum potestate Diaconatus non traditur Christi sanguinis dispensatio: igitur Christi sanguinis dispensatio non convenit Diacono ex proprio officio.

11. Difficultas est, an nulla urgente necessitate possit Diaconus jussu Sacerdotis hoc Sacramentum ministrare: ad quod responderetur. Primò accedente jussu Sacerdotis, non requiri extremam, sed sufficere mortalem dumtaxat necessitatem, seu utilitatem. Secundò licet possit in tali casu Diaconus Eucharistiam ministrare, si eis evidenter non constet de nullitate causæ. Tertiò si illis evidenter constet nullitas causæ, non possit licet Sacramentum ministrare, quia cum hoc sit proprium Sacerdotis, neque Diacono competit nisi urgente necessitate, non poterit absque hujusmodi necessitate illud licet ministrare, nisi fortè si illud non ministraret, incurreret offensam Episcopi, vel presbyteri præcipientis: nam tunc puto, licet possit Diaconum ad evitandam hujusmodi offensam, hoc Sacramentum ministrare, modo hoc non fiat in injuriam, & irreverentiam Sacramenti; nam illa est aliqua necessitas, si non communicantis, saltem communionem ministrantis. Contra vero, in casu necessitatis posset, adhuc prohibente Sacerdote, vel Episcopo, Diaconus viaticum ministrare infirmo, quia tunc conferret Diaconus potestatem habere à Papa, vel ab ipso Christo.

12. Ex his inferat Amicus in cur. theol. tom. 7. disp. 31. sect. 1. num. 17. non esse licitum Diacono absente, vel deficiente Sacerdote in die Parasceves in altari Hostiam consecratam consumere, & reliquas ceremonias peragere.

13. Nam illa actio est propria Sacerdotis: quia licet per illam non consecret, per eam tamen celebrat. Unde in rubricis ejusdem diei Parasceves, dicitur Sacerdos, eo die celebrare. Quemadmodum nec posset Diaconus perficere Missam deficiente Sacerdote, etiam post consecrationem; nam tota illa actio est propria Sacerdotis. Posset tamen Diaconus Hostiam consecratam ex altari deferre ad Sepulchrum in die Parasceves: sicut potest idem Sacramentum ex uno altari ad aliud transferre.

RESOL. XXIV.

An incurrat irregularitatem is, qui sine Ordine requisito administrat alia Sacramenta, quam solemnem Baptismum, & Sacrificium Missæ?

Et supponitur, quod irregularis efficitur, qui ministrat in Ordine, quem non habet.

Sed limitatur primo ad Ordines sacros, nam si in Minoribus ministrat etiam solemniter, non erit irregularis.

T

Secundo,

Ref. notar. seq. lege §. 1. & alium ejus primæ an. not.

Sup. doctrina contenta in hoc §. in to. 2. tr. 2. Ref. 65. §. 2. à lin. 4.

Sup. hoc in Ref. not. præterea §. Nota hic, & magis late in aliis ejus annot.

*Secundo, ut ministret scienter, & non ex ignorantia
putans bona fide se habere talem Ordinem.*

Tertio, ut ministres solemniter.

*Et queritur, an supra dicta irregularitas solos Clericos,
aut etiam laicos comprehendat?*

*Et notatur per absolutionem Sacramentalem prestatam
ab eo qui Ordinatus non est, irregularitatem non in-
duci*

Et an hanc irregularitatem non incurreres, si matrimonio
assisteres, tanquam Parochus, cum tamen Parochus
non sis?

Et docetur exercitem officium Ordinis, quem non habet, non fore irregularem, si illud præstet absque intentione usurpandi Ordinis usum. Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Ref. 21.

Sup. contēto
in hoc § le-
ge §. ult. Re-
sol. or. seq.
ex §§ de ius
ann.

§. 1. **S**uppono quoddam irregularis efficitur, qui ministrat in Ordine, quem non habet. Hæc est communis, & certa cap. 1. & 2. de Clerico inordinato ministrante. Limitatur primò ad Ordines Sacros; nam si in minoribus ministrat etiam solemniter, irregularis non erit; vt docet Divus Antoninus 3. parte titulo 29. cap. 1. & Henriquez libr. 14. cap. 6. num. 1. Limitatur Secundo, vt ministrat scienter, & non ex ignorantia, putans bona fide se habere talem ordinem; vt notat Navarrus, consil. 70. de sententia Excommunicationis, versio. Hoc idem circa finem. Et videtur colligi ex dicto cap. 1. de Clerico excommunicato ministrante, ibi: Propter temeritatem. Limitatur tertio, vt ministrat solemniter, si Ordo, quem exercet fit ex illis, qui sine solemnitate ministrari possunt à laicis, vt Subdiaconatus, & Diaconatus: quare Clericus Ordinum minorum, cantans Epistolam cum manipulo, & Evangelium cum Stola, irregularitatem incurrit; quia ministrat tanquam habens tales Ordines.

Sup. hoc in
Ref. seq. §. 1.
à lin. 4. &
seq. & in
alia Refol.
eius not.

2. His suppositis, difficultas est, an hæc irregularitas procedat circa omnia Sacramenta: Et affirmative respondit communiter Doctores, *ex cap. 1. de Clericor. non ordin. ministr.* Et idem, si quis ministrat aliquem Ordinem, verbi gratia, Communionem, Extremam Vnctionem, &c. cum Sacerdos non sit, irregularitatem incurrit. Verum Ioannes Præpositus in *3. parte question. 5. de irregularit. dubit. 6. numer. 34.* licet iudicet non esse recedendum ab hac communis sententia; tamen circa illam fatetur habere magnam difficultatem: cum nullo iure expresse habeatur, aliquem carentem Ordine, & ministrantem Sacramenta fieri irregularem: sed Doctores id tradunt *ex cap. 1. citato*; ubi dicitur: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum Officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abijciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.* Sub divinis autem Officiis non satis constat hæc contineri administrationem Sacramentorum; cum sæpe in iure inter se distinguuntur, ut patet *ex cap. Episcoporum de Privileg. in textu, ex cap. Responsio de sententia Excommunication. cap. Alimenta mater, eodem titulo, in 6. & ex Tridentino, sess. 21. cap. 4. de reformatione.* Confirmatur. Baptismus in *cap. citato*, distinguitur à divino Officio, ibi: *Comprehendere Sacramentorum administrationem*; quamvis in quibusdam aliis capitulis comprehendere videatur. Et ita Elcobar, in *Theol. moral. tractat. 4. Exam. 6. capit. 5.* docet, circa usum Ordinum non esse irregularem, qui carens Ordine ad id requiritur, Sacramenta administrat, excepto Baptismo, & Missæ celebratione.

* Sup. hoc in
duabus præ-
cedentibus
Ref. & pro
contento in
hoc & seqq.

3. Sed stando in contraria sententia communi, maxima quaestio est. * An hæc irregularitas solos Clericos, aut etiam laicos comprehendat? Et affirmativè respondet Valentia, Suarez, Coninch, Filliucius, Hurtadus, & alii, quos affert Castrus Palaus tom. 6.

disputat. 6. *punct.* 18. *num.* 9. Sed ipse *num.* 10. folios 95. et 96. Angelus, Rosella, Armilla, Tabiena, Henriquez, Sayro, Layman, & alii. Et huic sententia, Ego adhaereo. Quia, esto Textus in *capit.* 1. de Clerico non ordinato *minisr.* generaliter videatur loqui, & tam Laicos, quam Clericos comprehendere: et cum sub titulo, & Rubrica de Clerico non ordinato ministrante constituitur fit, indicatur manifestè pro Clericis tantum latum esse. Neque verum est, in Antiquis Codicibus omissum esse verbum illud, de Clerico: nam Sayrus testatur, se in septem manifestis Codicibus legisse titulum & rubricam, sicut in his editionibus castigationibus continetur. Praeterea quòd Textus hanc irregularitatem indicentes, aperte significant folis Clericis indici. Nam *cap.* 1. expresse loquitur de Ordinato; cui ultra prohibitionem, ne ad superiores Ordines ascendant, suspensio infligitur pro biennio, vel triennio ab Ordine praecipuo, quem habet in *cap. vero*; 1. si fuerit probabile intellectum Panormitani ibi, Sylvestri, & Sayri in locis allegatis, assentium illi verbiis, Abjiciatur ab Ecclesia, suspensionem, seu depositum non ferendum indici; manifestè constat de Clericis tantum esse sermonem: nam laici nec suspendi, nec deponi possunt. Et licet gravius peccet laicus, quam Clericus officium Ordinum usurpans; quia tamen Clericus frequentius, quam laici illud usurpare solent: ea de causa adversus Clericos usurpatores dictum officium statuta esse irregularitas, & non adversus laicos. Et ita, praeter Doctores citatos, nostram sententiam tenet etiam Cornejo in 5. parte tractat. 5. de irregularitate disputat. 7. dubium 2. quoniam prima.

4. Nota etiam hic ex Sylvestro, & Ledefina An-
lam *part. 7. disp. 9. dub. 15.* probabiliter putare, per
absolutionem Sacramentalem, præditam ab eo, qui
ordinatus non est, irregularitatem non induci; quia & illi
absque ulla solemnitate exerceat, ac proinde inter
officia Ordinis reponenda non est. Sed contrarium
docent Layman, Coninch, Suarez, & alii, quos ad-
ducit, & sequitur Cornejo, & Palaus, *ubi supra nu-*
mer. 6. Qui tamen *num. 5.* observat, & merito, quod
hanc irregularitatem non incurres, si matrimonio
affiteres tanquam Parochus, cum tamen Parochus
non esses; quia matrimonii affinitas non est ad
Ordinis, sed jurisdictionis, & propter usum jurisdi-
ctionis non habita non est irregularitas imposita; ut a re-
bendè advertit Suarez, *disp. 42. sect. 4. num. 193.* Coninch
disp. 18. dub. 6. num. 48. Gaspar Hurtado, *disp. 2. c.*
irregul. diff. 2. num. 5.

5. Nota hic etiam exercentem officium Ordinis, quaten non habet, non fore irregularem, si illud præstet absque intentione usurpandi Ordinis usum. Ita in *Avila, de Censur. part. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 13. conf. l. 2. §. Quinò. Gaspar Hurtado, disp. 1. difficult. 2. §. 5. & illi* *cap. 1. quia in c. 1. de Clerico non ordinato ministrante, statuitur* hæc irregularitas, cõ quod non ordinatus solemniter baptizaverit, vel aliud officium Ordini annexum exerxerit. Sed qui sine intentione baptizat, verè non baptizat: & qui sine intentione celebrat, vel absolvit, reverà non celebrat, neque absolvit. Ergo non exercet officium Ordini Sacer annexum; quia illud officium, seu officii simulatio, non annexum Ordini, sed ab Ordine excluditur. Sed contrarium assertit Suarez de Censuris, *disp. 41. sect. 4. à num. 18. Coninch, disp. 1.8. dub. 6. num. 47. Paulus Layman, de irregul. lib. 1. Summa tract. 5. part. 5. cap. 3. num. 1. Unde utramque sententiam puto probabilem esse.*

RESOL.